V L A D I S L A V S

Quartus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ Prussiæ Masouiæ Samogitiæ Liuoniæque necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumque hæreditarius Rex. Electus Magnus Dux Moschouiæ
Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest vniuersis & singulis. Reproductas esse coram nobis literas infrascriptas Pargameneas, latino idiomate conscriptas, manu Serenissimi piæ memoriæ Domini Sigis-
mundi Tertij Regis Poloniæ, Parentis Nostri desideratissimi subscriptas, Sigilloque maiori Regni communitas, saluas, sanas, & illæsas omnique suspicionis vitio carentes, continentes in se Confirmationem omnium et singulorum Ciuitatis Nostræ Vielicien. Iurium
literarum, Priuilegiorum, immunitatum, libertatum, & aliarum prærogatiuarum in eisdem literis inferius Specificatarum, per eundem Serenissimum Diuæ memoriæ Parentem Nostrum desideratissimum factam. Supplicatumque nobis est nomine præfatorum
Ciuium, ut easdem literas authoritate Nostra Regia approbare confirmare ac ratihabere dignaremur. Earum vero literarum tenor, is est qui sequitur. Sigismundus Tertius Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Litthuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samo-
gitiæ, Liuoniæque &c. Nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, Vniuersis & Singulis. Quia licet in præsenti felicis Coronationis Nostræ Conuentu, omnia in vniuersum Iura, Priui-
legia, literas, immunitates, publicas & priuatas, omnium Regni et Dominiorum Nostrorum Incolarum. Status, Conditionis, et dignitatis cuiuscunque, tam Spiritualis quam Secularis ordinis hominum, ab antecessoribus Nostris rite concessas abunde iam appro-
bauerimus et confirmauerimus, easdemque Nos sancte et inuiolabiliter iureiurando eam in rem præstito Seruaturos receperimus, tamen ad intercessionem nomine Ciuium Nostrorum Vielicien. eorundem omnia et singula Iura, literas, Priuilegia, immunitates
libertates, Prærogatiuas, Exemptiones, et Consuetudines quasuis laudabiles, nec non depositoria Decreta, Concessiones. Plebiscita, Senatus Consulta, et alia quæcunque pertinen. per quoscunque Reges, Principes, Duces, et quosuis Antecessores Nostros, ipsis con-
cessa et emanata, tam in genere quam in Specie, non secus atque hic inserta, et Scripto comprehensa essent, authoritate Nostra approbanda et confirmanda esse hisce specialibus literis nostris duximus, prout approbamus confirmamusque, ratificamusque, quantum quidem de Iu-
re est, et usus eorum habetur, præsentibus literis Nostris eaque omnia vim roburque debitum obtinere volumus. In cuius rei fidem, præsentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni Nostri consignari mandauimus. Datæ Cracouiæ in Conuentu Generali Coronationis Nostræ
die ultima Ianuarij Anno Domini, Millesimo Quingentesimo, Octuagesimo Octauo. Regni vero Nostri primo. Præsentibus Reuerendissimis, Reuerendis, Illustribus, Magnificis, Generosis et Venerabilibus ac nobilibus, Stanislao Karnkowski Dei gratia Archiepiscopo Gnesnen.
Legato Nato Regnique Nostri Primate, et alijs complurimis in Originali Priuilegio confirmatis de nomine et cognomine specificatis &c. Sigismundus Rex &c. Nos itaque præfatus Vladislaus Rex. Supplicationi eorundem Ciuium, uti iustæ benigne annuen.
simulque meliori Conditioni Ciuitatis præfatæ prospicere cupientes, cum quoniam nobis in Conuentione præsenti Generali felicis Coronationis Nostræ una cum Consiliarijs Nostris existentibus, venientes ad nos Famati Martinus Dadysz, et Ioannes Dobrowski, Consules Ciuitatis Vielicien.
suo ac totius communitatis omnium Ciuium nominibus, Iuramentum fidelitatis suæ præstiterant. Idcirco hæc omnia eorum Iura, Priuilegia, literas, Decreta, libertates, depositoria quæcunque, Inscriptiones concessiones, exemptiones, Plebiscita, Senatus Consulta Artificum et
Contuberniorum Fraternitates, et Prærogatiuas, Indulta, quietationes, et alia omnia munimenta, tam pargamenea quam papirea, per quoscunque Regni Principes, Duces, et [illegible] Prædecessores, ac alias quascunque personas Spirituales vel Seculares, eidem Ci-
uitati Nostræ Vielicien. data et concessa, datas et concessas, iusta et legitima, iustasque et legitimas tam in genere quam in Specie, ita ut generalitas Specialitati, et Specialitas generalitati non deroget, in omnibus eorum earumque articulis, punctis, clausulis, Conditi-
onibusque de Speciali gratia et munificentia Nostra Regia approbandas, confirmandas, et ratificandas esse duximus, uti quidem præsentibus literis Nostris, in quantum Iuri communi non repugnant, et usus earum habetur, approbamus, confirmamusque, ratificamusque, perpetuo et
in æuum decernen. easdem, debitum firmitatis robur obtinere debere. In cuius rei fidem, præsentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni communiri iussimus. Datum Cracouiæ, in Comitijs Generalibus felicis Coronationis Nostræ, die Octaua Mensis Martij,
Anno Domini, M D C X X X I I I. Regnorum Nostrorum, Polon. et Sueciæ Anno primo. Præsentibus. Reuerendissimis, Reuerendis, Magnificis, Generosis, Ioanne Wezyk Archiepiscopo Gnesnen. Legato Nato, Regnique Primate, Mathia Lubien-
ski Vladislauien. Adamo Nowodworski Poznanen. Stanislao Lubienski Ploccen. Henrico Firley Præmislien. Iacobo Zadzik Culmen. et Regni Polon. Cancellario, Paulo Piasecki Camenecen. Episcopis; Stanislao a Koniecpole Koniecpolski, Castellano
Cracouien. Supremo Regni Polon. Exercituum Præfecto, Ioanne a Teczyn Teczynski, Cracouien. Stanislao Radziejowski Lecicien. Iacobo Szczawinski Bresten. Hieronimo Radomicki Inouladislauien. Stanislao Lubomierski Terrarum Russi-
æ Palatinis, Luca de Bnin Opalinski, Supremo Regni Marschalco. Adalberto Stanislao Radziwil, Duce in Olika et Niesvviez, Supremo Magni Ducatus Litthuaniæ Cancellario. Thoma de Zamoscie Zamoyski, Vice Cancellario Regni, Generali Cracouien-
si, Nicolao de Zurow Danilowicz, Supremo Regni, Stephano Pac Magni Ducatus Lituaniæ Supremo. Thesaurarijs, Ioanne Lipski Referendario Regni, Petro de Zeronice Zeronski. Culinæ Curiæ Regni Præfecto, Bidgostien. Capitaneo.
Regente minoris Cancellariæ Nostræ. Christophoro Lode Succamerario Derpaten. Magno Ernesto Donhoff Capitaneo Derpaten. Iacobo Maximiliano Fredro Dapifero Leopolien. Secretario Nostro, et alijs quamplurimis ad præsentia Commitia congregatis.

Vladislaus Rex

Christophorus Lode
Secr. Reg. Mtis

Confirmatio Confirmonis Iurium Ciuitat Wielicz per simo Diua memona Sigismundum Tertium Regem Polon fact.

N 73 Visum Confirmatio Iurium Wieliczca p Wladis laum Regem A 1633

Rta Iac Max Fredro SRM

N 77

Numero 12mo